



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XV. De Rota Romana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

CAPUT XV.

De Rota Romana.

1. Quid Rota.
2. unde sic appelletur.
3. Origo illius.
4. Quando & ubi habeatur Rota.
5. Qua solennitate operiatur.
6. Quod & quarum Nationum sint Auditores.
7. Quae requirantur in iis qualitates.
8. Decanatus penes quam sit tempore vacationum.
9. Privilegia Auditorum.
10. Quomodo commissiones inter eos distribuantur, & causae decidantur.
11. Nil ultra taxam accipere possunt. Quae sit haec taxa.
12. Advocati & Procuratores quales.
13. Quid iis in causis agendis observandum.
14. Quot & quales Notarii admittantur.
15. Quae iis observanda.
16. Decisiones Rotae non faciunt Jus universale.
17. Sed tantum inter partes litigantes.
18. Decisiones sunt actus extrajudiciales, ideoque mutari possunt.

19. Et in secunda instantia mutatur Judex.
20. Non datur appellatio à Rota.

1.

Rota Romana est iudicium Summi Pontificis, quod cognoscit causas utriusque fori, Ecclesiastici quidem per universum Orbem Catholicum tanquam Tribunal Vicarii Christi Generalis, & Episcopi Ecclesiæ universalis, Pius IV. Const. 44. In throno. Paulus V. Const. 70. universi. Fori vero temporalis & profani causas tantum civiles, non criminales, idque ut plurimum via appellationis ad se devolutas dijudicat tanquam Dicasterium Principis temporalis Urbis Romanæ, & illius Italiæ ditionis, quæ status Ecclesiasticus nominatur, nec non Civitatis Avenionensis, & Comitatus Venuxini in Gallia. *Card. de Luca in Rel. Cur. Rom. disc. 32. n. 60.*

2. Dicitur hoc Tribunal *Rota*, vel quod Iudices seu Auditores dum conveniunt, circulari mensæ ad formam Rotæ assideant, vel quod causæ ordine per circulum ab illis referantur & examinentur; Vel ut putat Carolus de Fresne à *Rota Porphyretica*, quæ olim

olim Camera erat Romæ, in qua jus dicebatur, sic appellata, quod pavementum ejus ex marmore Porphyretico Rotæ figuram efformaret, atque inde moderna Rota Romana, quæ Camera est Judicii S. Pontificis nomen sibi adscivit.

3. Origo illius est, quod cum Papa, ad quem ex toto Orbe Catholico causæ ac dubia, maximè in Spiritualibus explicanda & decidenda deferuntur, per se huic muneri solus non sufficeret, capit in gravioribus negotiis, quæ Consistorialia non essent, Adjuutores & Consiliarios juris utriusque peritos in Capella Palatii sui, ubi ejus causas audiebat expediebatque Pontifex, adhibere; Unde primitus Capellani Summi Pontificis dicti sunt, & Auditores S. Palatii, quod partium causas, earumque momenta, priusquam Papæ proponerentur, in Palatio Apostolico exciperent, ad quorum deinde relationem Pontifex judicabat. Postmodum Auditores Rotæ nuncupati sunt. *Gomes. ad Regim. Cancell. in præm. de Rotæ immut. de Luca l. c. n. 3. & 4.*

De

De Auditoribus Rota.

4. Priscis temporibus conveniebant Auditores tempore Hyberno in Palatio Vaticano, Æstivo vero in Cœnobio Canonicorum Regularium Lateranensium, quod *Pacis* dicitur. Nunc vero habetur Rota in Palatio Cardinalis Vice-Cancellarii tempore Antemeridiano bis in hebdomade Feria Secunda & Sexta, vel iis impeditis Feria quarta, & si hæc quoque impediretur die Sabati, exceptis Feriis Natalitiis, & ultima hebdomade Antecinerarium, Feriis Paschalibus & Æstivis, quæ incipiunt prima vel secunda Septimana Julii, & terminantur ultima die Septembris. De *Luca l. c.* Post ultimam Rotam ex institutione Clementis VIII. qui & ipse ante Pontificatum Auditor fuit, excipiuntur à Papa Auditores prandio opipare instructo, & sub eo singuli donantur centum, Decanus vero ducentis aureis de Camera. *Lunad. l. c.*

5. Calendis Octobris ad institutum redeunt & denuo aperitur Rota, ad quam solenniter cum comitatu in equis accedunt Auditores mulis insidentes eo servato

servato ordine, ut primi Auditores incedant, Comitatus sequatur, idque propterea, ne cum Cardinalibus, qui postremo loco vehuntur, eundem statum habere videantur. Duo postremi Auditores, habita à juniore oratione, initium dant consiliis, primique causas in Rota ventilandas proponunt. *Lunad. in Rel. della Cort. Rom.*

6. Olim ad arbitrium Papæ plures erant, etiam triginta nonnunquam, in Rota Auditores usque ad tempora Sixti IV, qui numerum eorum ad duodenarium reduxit. *Const. 2. Romani pontificis.* Quorum unus est Nationis Germanicæ, quem Imperator proponit, alter Gallicæ ex nominatione Regis Christianissimi; Duo Hispani, ob Hispaniæ divisionem, quos nominat Rex Catholicus ex Regnis Castellæ & Legionis, atque alterius ex tribus Regnis Arragoniæ. Reliqui sunt Itali, inter quos unus de Dominio Veneto ad illius Reip. nominationem eligitur, & unum concessit Julius III. Civitati Bononiensi ad liberam Papæ Electionem, unum Pius IV. Civitati Mediolanensi, & Clemens VIII. unum Ferrariensi; Unus quoque ex observantia semper est Hetruscus; Reliqui tres

tres remanent ad Papæ dispositionem, qui ut plurimum eliguntur ex civibus Romanis. *De Luca. l. c. n. 16. & seq.*

7. Qui vero ad Rotam promoventur, debent esse Viri valde literati, & multa experientia præditi, Juris Doctores, qui ad minimum per triennium post Doctoratus gradum publicè Leges vel Canones prælegerint, commendati de vita & morum honestate, habeantque minimum in bonis temporalibus Ducatos ducentos de Camera añuè, de quibus Decanus Rotæ factâ inquisitione Vice-Cancellariû informare debet. Priusquâ etiam admittantur disputationem & examen coram Vice-Cancellario aut Locumtenente subire & juramentum præstare debent in manibus Vice-Cancellarii ex præscriptâ formâ à Joanne XXII. *Const. 14. Ratio Juris. Martinus V. Const. 3. In Apostolica.*

8. Tempore vacationum Decanatus Rotæ cum omnimoda præcedentia spectat ad Auditorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem. *Pius IV. Const. 61. Quamvis Corradus in prax. benef. l. 3. c. 8. n. 36. doceat, quod si quis ex hoc Auditorio creetur Episcopus, licet non nominetur amplius Rotæ Auditor, sed Locumtenens, neque Rotæ De-*

Decanus esse possit, retineat tamen & exercere non desinat Officium Auditoris; Attamen Innocentius VIII. *Const.* 6. *Circumspecta* expresse declaravit & statuit per promotionem Auditoris ad Infulam officium ejus in Rota vacare.

9. Auditores Rotæ plurimis gaudent privilegiis; Utuntur Cappa & Rochetto, sine quibus in publico, ubi Curia residet, incedere non possunt. *Joannes XXII. Const.* 14. *Ratio Juris.* Fruuntur omnibus Privilegiis & gratiis Referendariorum. *Paulus III. Const.* 12. §. 3. In recitatione Horarum Canoniarum anticipare, vel postponere Horas liberè & licitè possunt *Clem. VII. Const.* 13. §. 7. Lucrantur indulgentias Stationum Urbis visitando propriam Capellam. *ibid.* §. 10. Et exempti sunt à Gabellis vini. *Paulus III. Const.* 12. §. 3. Præcedunt in Capella Clericos & Magistrum S. Palatii post reformationem factam sub Alexandro VII. Admitti quoque possunt ad habitum Militiæ Christianæ. *urbanus VIII. Const.* 12.

10. Cæterum commissiones causarum, quæ ad Rotam deferuntur, distribuendæ sunt inter Auditores bona fide juxta ordinem Turni, quem turbare nemini licet. *Paulus V. Const.* 71. *Universi agri.* Cui commissio causæ prius præsentata fuit, est

est Iudex, in dubio Auditor antiquior præcedit. *Martinus V. Const. 5. Romani.* Possunt vero Auditores vigore unius commissionis in qualibet instantia causas cognoscere & decidere, Terminum ad docendum de attentatis & nullitatibus sine nova commissione præfigere, remissorias decernere, dilationes concedere, & liquidationes fructuum in partibus delegare. *Pius IV. Const. 44. Paulus V. cit. Const. 71.* Non possunt tamen sententiam ferre vim definitivæ habentem sine votis Collegarum, nisi partes in actis consenserint; Nec possunt remittere ad Cancellariam, nisi cum licentia Summi Pontificis, vel justis ex causis deductis in Rota. *Pius IV. l. c. Causas vero in quibus cognoscunt adesse suspicionem criminis, ad Iudicem ordinarium remittere debent. Paulus V. Const. 71. §. 22.* Et causæ ipsorummet Auditorum, eorumque familiarium & consanguineorum ac affinium usque ad secundum gradum in Rota non tractantur. *Pius IV. & Paulus. V. ll. cc.* Quæ vota & à quibus in Rota ferantur propalare non debent. *Joan. XXII. Const. 14. Ratio Juris.* Nec sua etiam cuiquam patefacere. *urbanus VIII. Const. 169. Exponi.*

II. Jam vero Leo X. *Const. 3. §. 2. & Cle-*

Clemens VII. *Const.* 13. §. 14. indulget, ut nihil pro expeditione literarum Apostolicarum Auditoribus Rotæ Romanæ solvatur. Nec possunt, hi quovis modo aliquid sportularum nomine à partibus petere, sed neque à sponte offerentibus ultra taxam accipere. Taxa vero hæc est: In causis pecuniariis seu profanis, si æstimatio rei non excedat summam mille Ducatorum, accipere possunt aureos decem. A mille usque ad decem millia, viginti quinque. A decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta. Abinde supra usque ad quamcumque summam, centum. In beneficiis, si redditus annuus non excedat summam centum Ducatorum, decem. A centum usque ad mille, viginti quinque. A mille usque ad tria millia, quinquaginta. Abinde vero supra usque ad quamcumque summam centum aureos pro sportulis cujuscunque sententiæ diffinitivæ duntaxat accipere possunt. Ultra quam nec ipsi Auditores, nec eorum familiares vel consanguinei, aut alii quovis quæsito colore, quicquam exceptis esculentis & poculentis, quæ triduo consumi possint, ipsarum sententiarum intuitu acceptare possunt. *Paulus V. Const.* 71. *Universi.* §. 26.

De Advocatis & Procuratoribus Rotæ Romanæ.

12. Sunt quoque in Rota Procuratores & Advocati, qui partium & causarum in Rota proponendarum patrocinium suscipiunt. Ad hanc Procuraturam non omnes passim admittuntur, sed ii solum, qui doctrinæ, usus & morum examen subierint, & per Rotæ Decanum, vel alium à Rota deputandum, adhibitis duobus vel tribus Procuratoribus ex ipsorum Collegio approbati fuerint; Pro hoc vero examine nil exigi vel solvi debet. *Paulus v. Const. 71. ubi vers. §. 18.* Porro Clerici majori dignitate præditi ad officium publici Procuratoris non assumantur; Ad hoc vero assumpti honestum habitum congruentem Clerico sæculari ferant; Tabernas non frequentent, & si Concubinas habeant, dimittant. *Martinus V. Const. 5. Romani.*

13. Priusquam vero causam assumant, diligenter prius examinent, an justa sibi vel injusta videatur, ita ut nullam injustam agendam vel defendendam scientes suscipiant, & de hoc
jura

juramentum præstent. *Martinus V. Const. 5. Romani.* Si autem causæ patrocinium susceperint, indefensas causas non dimittant, sed proviribus eas defendant, nisi excusationem legitimam habeant à Judice approbandam. *Paulus V. l. c.* Patrocinium vero in eadem causa unitantummodo parti præstent, & in rebus agendis modestiam servant, caveantque à tumultuosis clamoribus in Consistoriis & Audientiis. Liceat vero Procuratori causæ Advocato proponenti retro assistere, ut siquid forte ille omiserit, Procurator ad memoriam revocet. *Martinus V. cit. Const. 5.* Coram Auditoribus autem, quibus sanguine conjuncti sunt usque ad secundum gradum patrocinari non possunt Advocati & Procuratores. *Paulus V. Const. 7. §. 5. n. 16.* Et prosequentes appellationes à non definitiva vel gravamine reparabili, vel non lata sententia, ultra expensas & damna puniendi sunt. *Urbanus VIII. Const. 7. Reg. Canc. 37.* Qui spoliant vel percutiunt Advocatos & Procuratores Curia Romanæ, vel talia delicta procurant, excommunicantur. *Urbanus VIII. Const. 62.* Stipendia ultra taxas non capiant, nec de quota litis paciscantur

Advocati, *Paulus V. cit. Const. 71.* Pauperibus vero gratis patrocinentur. *Bened. XII. Const. 2.* Pridie ejus diei, quo Rota agitur, non liceat Advocatis & Procuratoribus Auditorum studia perturbare. *Paulus V. l. c. §. 18. n. 14.*

De Notariis Auditorum Rotæ Romanæ.

14. Quilibet Auditorum Rotæ quatuor, non plures Notarios intelligentes, fideles & honestos habere potest, qui per se, & non per alios in causis propositis scribant. Hi autem priusquam admittantur, examinandi sunt per Vice-Cancellarium vel alium, quem ipse substituerit, de literatura, ac Scriptura sufficienti, ac de vita & conversatione illorum informatione accepta, ac præstito ab iis juramento juxta formam à Ioanne XXII præscriptam approbandi. Sint modesti, & non habeant concubinas. Non sint Procuratores in Rota, neque scribant in causa partis adversæ. Munus suum fideliter & diligenter exercent, & non sint plurium simul
Au.

Auditorum Notarii Joan. XXII. *Const.* 14.
Ratio juris, Martinus V. *Constit.* 5. Paulus V.
Const. 71.

15. Notarii Rotæ in confectione registrarum rubricarum & copiarum remissoriis, compulsoriis, executorialibus, notis sententiarum diffinitivarum, testium examine & hujusmodi observare debent Constitutionem 71. Pauli V. aliasque Rotæ ordinationes, Literas remissoriales scribant in charta juxta veterem morem à Chartulario lineata. Dent petitas à partibus expeditiones. Conficiant inventarium actorum, instrumentorum & scripturarum, ita, ut nihil sit in chartulis, quod non sit in libris descriptum. Pro notis interlocutoriarum, & pro relationibus socio faciendis nihil accipiant. Pro reliquis vero scripturis vel actibus ultra Taxam Notariorum Rotæ præscriptam à Paulo V. *Const.* 72. *Cum. nos.* §. 4. nil accipient.

De Rotæ Decisionibus.

16. Quæri solet, an Rotæ Decisiones Jus faciant universale? Licet sint, qui velint

lint

lunt illis legis dare auctoritatē universalis,
 ut refert Engel in *Proæm. de Jur. Canon. n. 17.*
 Hanc tamen neque ipsa Rota illis at-
 tribuit, utpote quæ sæpius contra eas
 sententias tulit. *Card. in c. 8. de fid. instrum.*
q. ult. & fatentur insignes quidam Rotæ
Auditores apud Fagnanum in c. 12. de
Judic. n. 31. inter cæteros Præpositus in c.
10. dist. 9. ait: Decisiones nostra non
sunt jura, & ideo possunt reprobari.
 Et Curia licet magni æstimet Rotæ de-
 cisiones, auctoritatem tamen legis illis
 non adscribit. *De Luca l. c. n. 66.*

17. Faciunt ergo hæ Decisiones jus &
 auctoritatem solummodo inter easdem
 partes litigantes, & in eadem causa,
 in qua latæ sunt, quas reliqui Judices
 sequi non tenentur, si alia juris funda-
 menta pro sua sententia in promptu ha-
 bent. Agnoscunt tamen gravissimi Au-
 ctiores venerabilem illarum auctori-
 tatem easque excipiunt tanquam Doctri-
 nam magistralem plurium judiciorum
 in idem prævia causæ cognitione ten-
 dentium, ita ut prævaleant communi
 opinioni secundum *Jmmolam in c. 1. de*
Lit. Contest. Et si in eadem causa plures
 factæ sint Rotæ Decisiones, eæque uni-
 formes consuetudinem subinde, & stylum
 in

in Curia romana pariunt. *l. cum de interp. ff. de Leg. nam ad Rotam spectat interpretari verba & mentem Papæ in rescriptis Pavinas in præl Extrav. Joannis XXII. Coll. 3. v. Decisiones Rotæ.*

18. Porro cum Decisiones illæ sint actus merè extrajudiciales, non sententiæ neque Decreta, sed motiva solum per quemlibet Auditorum de Dubiis propositis extensa, & ab uno Auditore, qui in causa Judex constitutus est, & *Ponens* dicitur; ex cæterorum sententiis collecta & efformata, ideoque nec in actis ponuntur, nec transeunt per manus Notarii Actuarii; Hinc si adversa pars, cui motiva illa ex benevolento officio ante sententiæ enuntiationem communicantur, argumenta relevantiâ adducat, aliterque Rotam informet, solet demandari aliis auditoribus Decisionum Revisio, & priusquam fiat earum revocatio, disquiri in particulari, an ab eis hic & nunc recedendum sit ob particulares qualitates, ac circumstantias occurrentes & allegatas; Atque si tum forte à facta Decisione resiliatur, non fit revocatio Sententiarum vel Decretorum, sed mutatio solum consilii orta ex diversis, quæ adducta sunt,

sunt,

sunt, motivis, adeoque ob diversam facti qualitatem, diversa sæpe in eadem causa fertur sententia, quod cum vulgus male concipiat, contrarietatem appellat. *De Luca in annot. S. Conc. Trid. Dist. I. n. 11.*

19. Si itaque priores sententiæ in Rota latae invalidentur per posteriores Decisiones Revocatorias, dici solum poterit Rota eo sensu retractare Decreta sua, quo unum Tribunal, ad quod appellatum fuerat, revocat sententiam alterius Tribunalis prioris instantiæ; Quia in Rota etiam in secunda instantia mutatur Judex & Corresponsales, hoc est, quatuor Auditores Rotæ, qui per Turnum constituti in causa à Ponente proposita, sententiam suam proferunt. *De Luca Relat. Disc. 32. n. 57.*

20. Appellari vero nequit ex Rota ad aliud Tribunal superius, sed causæ quæ in ea ventilantur ad exitum ibidem deduci debent, nisi in casu rarissimo, quo Papa pro suprema sua potestate causam à Rota revocaret, eamque particulari alicui Congregationi Cardinalium aut Prælatorum revidendam demandaret. *De Luca l. c. n. 58.* Ideoque si causæ Beneficialis deducta est ad Rotam, hoc solum Tribu-

Tribunal conferre beneficium, & instituere provisum potest & nemo alius sine vitio attentatorum. *De Luca l. c. n. 99.*
 Representat enim Rota Tribunal Pontificum, & ordinariam habet jurisdictionem, quæ habitualiter penes omnes Auditores existit, licet singuli solum sint Judices delegati, cum commissiones causarum inter illos per ordinem referendæ & explicandæ distribuuntur. *De Luca l. c. n. 5.*

C A P U T XVI.

De Congregatione Sancti Officii, seu Tribunali universalis inquisitionis.

§. I.

De Origine sacrorum Inquisitorum.

1. *Episcopis incumbit extirpare errores & hereses.*
2. *Cum id à quibusdam negligeretur, instituti sunt inquisitores.*
3. *Pri-*

iverfam
 n eadem
 cum vul-
 tem ap-
 Trid, Dist.
 e in Ro-
 stiores
 lum po-
 Decreta
 quod ap-
 tiam al-
 æ; Quia
 tia mu-
 hoc est,
 per Tur-
 nte pro-
 runt. De
 Rota ad
 isa quæ
 dem de-
 o, quo
 causam
 rticulari
 um aut
 andaret.
 Benefi-
 c solum
 Tribu-